QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS mane discutienda in Scholis Medicorum,

Die Jovis vigesimâ primâ Martii 1709.

M. PHILIPPO DOUTE',

DOCTORE MEDICO,

PRÆSIDE.

An statim à Pastu imbecilli duntaxat ventriculo motus omnis noxius?

I.

VIVERE velle; vitam non servare proprium hominis vitium est. Queritur brevem esse eam, quam intemperantiâ suâ multò breviorem facit. Undè tot præcipites & immaturi interitus, quæris? Numera coquos. Miraris! Nùnc sunt mores; quis enìm simplici victu utitur, nisi quem non sinit egestas alitèr facere. Palato sapit alimenti diversitas; non salubritas. Sic loquuntur omnes. Verè sibi Medicus est, qui temperamentum suum noverit; utinàm illi verè noverint: sèd undè possis eorum doctrinam cernere, se metipsos jugulant. O doctissimos viros! Cui nulla vivendi lex, is si credat valere & senescere posse, nihilò plùs agat, quàm si cum ratione insaniat. Tibi igitùr non sit tanta voluptatis cupiditas, ut cùm dormire debeas, vigiles; quiescere, movearis, præsertìm si tantæ molis sit concoctio imbecilli ventriculo. Præcipua coctionis causa à salivâ pendet. Crudior sanguinis portio Veteribus audit. Nobis chylus nondùm tenuatus, nèc in sanguinem mutatus, qui coctioni iterùm mandatur, ut chylosim perficiat. Ideò qui stomacho sunt imbecilli, solent utplurimùm spuere, & à sputo copiosiori tabes corporis sequitur. Inest salivæ mira virtus, quæ alimenta in chylum sibi consimilem mutet. Acida, acriavè, in dulcem succum facescunt. Secùs accidit, ubì qualitate pravâ saliva inficitur, perversè agit in cibum, & coctionem ejus evertit; in quam quidèm, ut rectè fiat, quicumque valere volet, debebit incumbere.

II.

QUANTUM sit quod infert corpori damnum prava chylosis, testantur diversa morborum genera. Magna quidèm est vis aëris in corpus humanum: sèd non ità facilè tyrannidem suam exerceret, nisi præcessisset vitium alimenti aut coctionis ejus. Quarè diù

ſæpiſſimè ſerpit latitans in venis cacochymia, quæ datâ occaſione ſtrages edit. Primæ digeſtionis error non emendatur in alterâ. Morbus eſt in procinctu; niſi à pravo illo fermento liberetur ſanguis. Deſpumatur continuò. Pellit in emunctoria omne ſibi noxium. Sìc morboſos impetus eludit. Fermentatio id perficit. Nullus eſt in toto corpore ſuccus qui non fermenteſcat. Sempèr alteratur, ſempèr immutatur. Coloris & ſaporis alteratio, certus eſt liquoris fermenteſcentis index. Exemplum erit muſti in vinum alteratio, ejuſque in acetum degener ſtatus. Alimenta in ventriculo ſolvuntur fermentatione. Hæc lenis eſt, vìxque ſenſilis; undè liquor exurgit dulcis in ſtatu ſano, alius in morboſo. Anſam præbet innumeris morbis; nàm quid non indè, ſi acidus, àut acris, àut alius ac eſſe debet ad ſanguinem pervenerit chylus, amicâ cum eo unione non conjungetur. Crudiori gravatus ſucco ſanguis inordinatè bulliet; minimis hærens tubulis infarctus pariet, maximè ſi redundet acidum. Naturalis temperies horret àb acido; vìx una in toto corpore ſalis acidi mica deprehenditur: sèd alkali ſalſum, hocque volatile. Totius humani corporis analyſi factâ, non plus unâ drachmâ fixi ſalis reperire eſt. Omnes ſales eamdem obtinent naturam. Variant pro variâ inter ſe diſpoſitione, pro diverſo cum aliis principiis connubio. Ex alimentis acidi, in ſanguine pepſi dulces. Mutato ſitu dixeris indolem atquè eſſentiam mutari. Fuge igitùr quodcumque ad ſanguinis flumen acidum vehit, àut in ipſo generat. Hoc inferunt curæ, tædia, corporis motus mollitèr operanti ventriculo nunquàm non nocitura.

III.

MOTUS, exercitatio, & labor, diverſa ſunt nomina, res eadem: nèc diverſa inter ſe niſi comparatione factâ. Ut in univerſo nihìl magnum, nihìl parvum; niſi comparatum; ità motus erit exercitatio, aut labor, & vice versâ. Quod modicum eſt alteri, alteri immodicum fit; quìn & eidem, res eadem, pro tempore modica & immodica redditur. Antiquitati placuit motum & exercitationem, ùt genus & ſpeciem conſiderare. Per motum intelligebant actionem corporis, quæ cùm erat vehemens, vèl labor, vèl exercitium appellabatur. Hujus maxima fuit illis temporibus varietas. In ludis & ſacrificiis authoritatem in principio tantùm habebat: tandèm àb Herodico Medicinæ adjunctum fuit. Alii ambulando corpus movebant, alii geſtatione utebantur; ſivè in vehiculo, ſellâ, cathedrâ, àut lectulo pendente. Et hæ quidèm erant placidæ & quietæ motiones. Vehementes, curſu, ſaltu, jaculatione, pugilatu abſolvebantur. Quibuſdam familiaris erat pilæ ludus, qui pro pilæ differentiâ triplex erat. Hos contrà adverſarium indutis armis pugnare, illos contrà columnam: venari, piſcari, & benè multa alia facere juvabat alios. Frictiones etiàm, Veneris, & balnei uſus inter exercitia recenſebantur.

Exercitiorum hodiè minor eſt apparatus, numerus minor; quibus ſi utamur, non de ſanitatis curâ tàm ſolliciti, quàm voluptatis cupidi: nihiloſeciùs quid meliùs in firmandis corporibus, morbis arcendis? sèd plùs èx eâ re mali erit, quàm commodi, cui nulla erit ratio. Hæc eſſe debet; ut quis non ſtatìm à cibo moveatur, debili ventriculo ad difficile coctionis opus ſe accingenti. Tutiùs eſt ei qui non concoxit, èx toto conquieſcere, quàm ſe exercitio credere: quidquid contrà dicant, qui quò citiùs è ſtomacho præceps agitur alimentum, eò citiùs coctum illud credunt; qui idcircò id quod cruditas eſt coctionem appellant.

I V.

UBI fames urget, àb animi corporiſque motibus vacare convenit: multò magìs ubì ſatietas eſt. Quò major eſt utriuſque commotio, eò pejor habetur. Ab eo quod eſt in Symmetro viget œconomia animalis; ab extremis dejicitur. Quid mali ſecum portent animi pathemata, notum? non ità de corporis exercitio conſtat. Segnis quietem amat, agilis ſempèr moveri cupit: ſimilitèr ut omnes agant, commonet uterque. Hic quieſcat, ille moveatur oportet. Neutri ſtatìm à cibo corpus exercitatione dimovere convenit; infirmo nequidèm motus. Quid eventurum ſit cogita. Coctionis officinæ ſuccuſſæ, partes vicinas concutient; diſtrahent pondere ſuo eas, eò magìs, quò debiliores, quibus alligantur. Tonus ventriculi premente cibo ſolvetur. Hìnc laborioſa fit reſpiratio; anxietas ſequitur totius corporis cum torpore; laborat caput; Tibiæ corporis pondere obrutæ, huic ſuſtinendo redduntur impares; deniquè totus homo ſibi metipſi videtur ægrotare. Motus, intùs ſuſcepta hùc illùc alimenta agitando, in alienam à naturali commutat temperiem. Citiùs quàm par eſt ſolvuntur, potiùs dividuntur, quàm coquuntur. Sales eorum ad ſtatum, ùt dicunt, fluoris evecti, quem malè cauta, exercitationis cupiditas irritat, àut neceſſitas urget, ructibus importunis moleſtant. Fatigatus hiat utrâque parte ventriculus: undè ructus, undè etiàm cibi præcipites aguntur in inteſtina, & ſemicrudi committuntur eorum trituræ: sèd fruſtrà. Hìnc pilæ ludus, ſaltus, equitatio digeſtioni officiunt. Omne quod vehemens eſt exercitium, ſthomacho validis noxium eſt, ùt imbecillis quod mitius eſt. Quicumque igitùr, ut coctionem adjuvet, exercetur, ſui pœnas erroris luet. Excipi debent pueri: quippè qui ſæpiſſimè in die edant; idque mediocritèr; licèt plurimi cutaneis affectibus laborent. Itaquè paſſeres perpetuò motu moventur, granum dumtaxàt unum, àut alterum indentidèm vorantes.

V.

QUICUMQUE chymicas metallorum diſſolutiones intuentur, è veſtigio digeſtionis modum alimentorum ſcire ſeputant.

In hoc magis ignaros se præbent, adeòque tyrones potiùs quàm in arte peritos. Ventriculus in quibusdam insigni robore pollet, in aliis maximè debilis est, quo in numero magna pars urbanorum, omnesque penè cupidi litterarum sunt. Cùm patitur, malè se habet universum corpus. Succussus non amat. Ab assumpto emetico, canis abdomine secto, illum vìx motu donari aliquo palàm fit; imò nullo. Cessat vomitus statìmatque amoventur musculi abdominis, quos si in suo naturali situ reponas, rursùs evomit. Ventriculum non immeritò comparaveris cum avium ingluvie, in quâ tàm non teruntur grana quàm humectantur. Fundula ventriculi conterit. Ideò validissimis musculis circundatur. Curiosum est quod in fele evenit recentèr mactato. Post horæ quadrantem, vibebis motum à piloro ad podicem usquè continuari, immoto prorsùs ventriculo. Quî igitùr fiet coctio? An menstruo acri inflammationes ipsi ventriculo parituro? An tritu solo? Minimè. Panificium operandi naturæ modum detegit. Attende. Frustulum pastæ servatur; quod ubì cum aliâ pastâ miscetur, hanc fermentat. Id ipsum incipiens alimenti digestio est. Similitèr, saliva continuò deglutita, fermentum est cibis elixandis accomodatum. Non vinum fermentabit pastam farinaceam: Sèd benè cerevisia, cùm ipsa èx farinâ fit. Id quod vinum in acetum convertit, fæx est ipsius aceti. Requiritur ergò convenientia inter dissolvens, & id quod solvitur. Hæc in salivâ reperitur. Chyli videtur esse portio jàm prægressarum coctionum sero diluta, easdem dotes obtinens; nàm àb acidâ chylosi, multi salivam acidam spuunt, præcipuè si malum inveteraverit. Hæc nisi vitiosa sit, salsa., acida, aut alkalicæ indolis non deprehenditur: sèd dulcis est, qualis esse debet chylus, ut corpus nutriat. Ubì talis est, tàm placidè ac benignè agit, ut, qui comedit, eodem ferè modo ac jejunus, sed sine fame, se habere sibi videatur. Quæ fiunt in corpore sano functiones, sine molestiâ peraguntur. Quis homo est verè sanus, qui in se ipso motum vèl cordis, vèl intestinorum percipiat, àut difficilè respiret, àut urinæ sentiat acritatem? Nequè paritèr cibi digestio percipi debet. Cùm adeò tranquilla sit, cave nè perturbetur. Si quæ robusto sui cura corporis habenda, maxima debili. Huic nocebit motus: non illi. Sequere quæ ratione carent (iis quoad functiones naturales, similis homo) animalia quippè solo naturæ instinctu agentia viam monstrant, & àb assumpto cibo quiescunt.

Ergò statìm à Pastu imbecilli dumtaxàt ventriculo motus omnis noxius.

Proponebat Parisiis JOANNES NICOLAUS DE LAHIRE, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A.R.S.H. 1709.

Typis Viduæ Francisci Muguet, Regis & Facult. Medicinæ Typographi.